



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. Qvodnam proprium est quartum prædicabile.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

rentiæ subalternæ seu genericæ sint veræ differentiæ. Nam id constabat manifeste per hoc, quod prædicetur per modum determinantis & æquantis: & sicut cognoscitur differentia infima esse differentia, quia sic prædicatur, quamvis non addebatur in descriptione præmissa quod differentia etiam prædicetur de pluribus differentiis numero; ita cognoscitur idem de differentia subalternâ, quamvis non adderetur illa particula.

65. *Tertio*: si quis definiret animal esse viuens sensitivum, etiam si illud sensitivum esset rationale, male sine dubio definiret ipsum, quia impertinenter adderetur ultima particula, tunc quia sine illa esset sufficienter descriptum per reliquâ partem: tunc quia non potius deberet illa particula addi quâ altera, nimirum etiam si illud sensitivum esset irrationale; ergo male describitur à pari differentia esse prædicabile in quale quid de pluribus, etiam si illa plura sint distincta specie; tunc quia sufficienter describebatur sine ultima particula, tunc quia illa non potius adhiberi debuit quam altera, nimirum etiam si illa plura sint distincta numero.

Quarto impugnatur, quia ly & licet quandoque significet idem quod etiam, nunquam tamen significat idem quod etiam si: sed significando etiam, prædicta definitio est manifeste mala, neque enim verum est quod differentia infima sit prædicabilis de pluribus, etiam specie differentiis.

Confirmatur hoc: illa definitio non est bona, quæ non potest vere & utiliter prædicari de quocumque contento sub definito: sed de differentia infima non potest vere prædicari quod sit prædicabilis de pluribus etiam specie differentiis, ut patet, nec potest de ea utiliter prædicari quod sit prædicabilis de pluribus, etiam si specie differant, imo eo ipso quo sic esset prædicabilis, amitteret rationem differentia infima: ergo quomodocumque intelligatur ly &, descriptio prædicta non erit bona & adæquata omni differentie.

Et si quæras, cur addebatur? *Respondetur* ad denotandum quod illa plura, de quibus esset prædicabilis differentia ibi descripta, essent distinctæ species, satis enim eleganter additur ly & pro quidem, ita ut sensus illius definitionis sit quod differentia sit prædicabilis de pluribus, & quidem talibus quæ differant specie, nec aliud denotat ly & in prædicta definitione, nec addebatur ad necessitatem sensus, sed potius ad elegantiam modi loquendi.

66. *Obiicies*: sic intellecta definitio esset mala: sed hoc præiudicat authoritati Porphyrii, quæ quam commode fieri potest, sed in hoc tractatu conferenda.

Respondetur concedendo maiorem, si intelligatur differentia ut sic, aut omnis differentia definiri; negando vero illam, si dicatur solum definiri differentia subalternâ. Ad maiorem dico non posse commode explicari definitionem sic, ut conveniat omni differentia, & si omnem voluit, aut debuit definire Porphyrius, non satisfecit suo muneri, nec est necesse eius auctoritatem tantopere defendere, ut non dicatur in aliquo defecisse, quod si voluit solas subalternas definire, non est contra auctoritatem ipsius, imo est pro illa, quod prædicta definitio non competat infimis. Valde autem verisimile est quod solas subalternas definire voluerit, quia verisimile est fuisse illum in eorum sententia, qui negabant dari infimas incompletas & simplices, conformiter ad quam doctrinam optima esset prædicta descriptio.

CONCLUSIO II.

67. *Bene definitur differentia ut sic esse, quæ prædicatur de pluribus in quale quid; & differentia infima esse, quæ sic prædicatur de pluribus differentiis numero tantum; & differentia subalternâ, quæ sic prædicatur de pluribus differentiis specie.* Hæc est communis cum secunda sententia, nec credo negari posse ab authoribus primæ sententiæ.

Pater autem, quia prædictæ definitiones seu descriptiones conveniunt omnibus, & solis absque obscuritate aut superfluitate, nec aliquid opponi potest ullius momenti. An autem differentia infima & subalternâ sint distinctæ species prædicabilia, diximus sensum nostrum supra disp. 4. num. 111.

68. *Obiicies*: Differentia nequit definiti: ergo non bene definitur prædicto modo. Probatur antecedens, quia quod definitur, debet constare genere & differentia: differentia

nequit constare genere & differentia, quia aliàs daretur processus in infinitum; nam qua ratione una differentia constaret genere, & differentia, illa differentia, qua constaret, deberet vicissim constare alia differentia, & illa alia altera, & sic in infinitum.

Respondetur ad hoc communiter negando antecedens, & distinguendo minorem probationis: differentia primò intentionaliter, conceditur, secundo intentionaliter, negatur: hic autem diffinitur differentia secundo intentionaliter non primò intentionaliter.

Contra, quia quamvis non definiatur aut describatur hac definitione differentia primò intentionaliter accepta, definita tamen est aut descripta supra, & potest sine dubio describi: ergo salvandum est, quomodo possit definiti, vel quomodo possit constare alia differentia.

69. *Respondetur ergo aliter* etiam negando antecedens, loquendo de quacumque differentia, siue primo siue secundo intentionaliter accepta, omnis enim differentia potest definiti aut describi. Et si dicatur, quod differentia primò intentionaliter non possit proprie definiti, licet possit aliquo modo describi, pariter posset dici idem de differentia secundo intentionaliter accepta. Ad probationem autem dico, quod differentia ut sic, quæ per se primò hic definitur, constet alia differentia particulari, nimirum formalitate illa, secundum quam competit ipsi esse prædicabile in quale quid de pluribus illa autem alia differentia particularis est irresolubilis in plures conceptus, sicut rationalitas, & est differentia, non tamen illa, quæ hic per se primò definitur, sed individuum, vel species eius, nec debet constare alia differentia, sed se ipsa differt ab omnibus, sicut rationalitas.

DISPUTATIO VIII.

DE PROPRIO.

MT exactius declararet Porphyrius, Proprii, quod est quantum prædicabile, naturam, quatuor eius acceptationes proponit. Dicit ergo quod capiatur *Primo* pro eo, quod solis individuis unius speciei convenit, licet non omnibus, ut esse medicum convenit hominibus. *Secundo* pro eo, quod omnibus individuis unius speciei competit, sed non solis, ut esse bipedem, quod omnibus hominibus connaturaliter, & si sunt in statu suo completo integraliter, convenit, sed non solis, quandoquidem conveniat etiam aubus. *Tertio*, pro eo, quod omnibus & solis individuis unius speciei convenit, sed non semper, ut ridere; nullus est enim hominum, qui non aliquando rideat si vivat præsertim longo tempore in conversatione & connaturali suo statu; & nullus homo semper ridet, nec aliquid aliud individuum ullius alterius speciei proprie ridet, licet prout dicatur metaphorice & improprie ridere. *Quarto* pro eo, quod omnibus & solis unius speciei individuis, & etiam semper convenit, ut esse risibile competit hominibus.

QVÆSTIO I.

Quodnam Proprium est quantum prædicabile.

2. **E**X quatuor Propriis, quæ proposuit Porphyrius, quæritur hic quodnam ad quantum prædicabile spectat. Circa quod *Louanienses, Conimbricenses, Canterus, Murcia, Hurtadus* hic existimant, omnia prædicta quatuor propria esse spectantia ad quantum prædicabile; *Fonseca* 3: *Met. cap. 28.* putat secundum & quantum ad illud pertinere; alii tertium & quantum.

Communior vero sententia cum *Auerro, Occamo, Caetano, Soto, Tolet, Aversa, & Complutensibus* hic tenet, solum proprium quarto modo esse quantum prædicabile; reliqua verò propria vere pertinere ad Accidens, quod est quantum prædicabile.

CONCLUSIO.

3. *Solum Proprium quarto modo est quantum prædicabile.* Hæc est communior, & probatur, quia solum

Respon-
sio
communis

Definitio
bona differ-
entia ut
sic.

Solum Pro-
prium quarto
modo
est quantum
prædicabile.

hoc proprium habet modum inexistendi pluribus, & prædicandi de pluribus distinctum à modo inexistendi & prædicandi reliquorum vniuersalium & prædicabilium: ergo solum illud proprium est quartum prædicabile. Consequentia patet, quia quartum prædicabile debet habere modum inexistendi pluribus, & prædicandi de pluribus distinctum à cæteris vniuersalibus & prædicabilibus. Antecedens dicitur duo, & quod proprium quarto modo habeat distinctum modum inexistendi & prædicandi, & quod nullum aliud proprium hoc habeat. Primum patet tum quia nullum proprium potius debet spectare ad quartum prædicabile; tum quia illud proprium debet spectare ad aliquod prædicabile: sed ad nullum potius quam ad quartum: ergo. Probatur secundum, discurrendo per singula alia propria. Et quidem quod primum proprium non habeat modum prædicandi aut inexistendi distinctum ab accidente, patet, quia sine dubio esse medicum, seu habere scientiam medendi, tam est accidens homini, quam esse album, potest enim adesse & abesse illi absque subiecti corruptione; quæ est definitio accidentis quinti prædicabilis: ergo non habet modum inexistendi distinctum à quinto prædicabili.

4. Dicitur, esse medicum posse capi dupliciter, primo actualiter prout dicitur actuale aut habituale scientiam, à qua dicitur quis esse medicus actualiter; & hoc modo sumptum non erit quartum, sed quintum prædicabile propter rationem iam dictam. Secundo prout dicitur aptitudinem & capacitatem, quam habent homines soli ad acquirendam scientiam illam actualem & habitualem medendi; & hoc modo non est accidens homini, sed vere proprietas eius, & hoc modo intelligendum est esse medicum, ut est exemplum proprii primo modo.

Contra primum, quia non debet intelligi illud proprium in hoc secundo sensu, sed in primo: ergo proprium primo modo in sensu, in quo debet intelligi, non est quartum prædicabile. Probatur antecedens, quia eodem modo debet intelligi esse medicum seu grammaticum, quod est proprium primo modo, quo intelligendum est ridere, quod est proprium tertio modo: sed ridere debet intelligi actualiter non aptitudinaliter, aliàs conueniret cum proprio quarto modo, idem enim esset ridere ac esse risibile: ergo esse medicum intelligi debet actualiter & non aptitudinaliter.

5. Contra secundum: si loquaris de aptitudine & capacitatem, secundum quam potest homo acquirere sibi illam scientiam, quæ capacitas identificatur homini, & est annexa naturæ ipsius, illi capacitati non conuenit descriptio proprii primo modo, quia conuenit omni homini; proprium autem primo modo non conuenit omni: imo illi capacitati conuenit descriptio proprii quarto modo, quia illa capacitas omni, & soli, & semper conuenit: ergo falsum est quod esse medicum, ut est exemplum proprii primo modo, capiatur sic. Quod si intelligas per capacitatem, & aptitudinem acquirendi scientiam medendi illam inclinationem naturalem, quam habent aliqui ad medicinam, sicut alii habent ad poesim, alii ad musicam, alii ad alias res, illa quidem capacitas non est proprium quarto modo, quia non conuenit omni homini, nec emanat ab essentia eius, est tamen propriissimum accidens de prædicamento qualitatibus, & vere conuenit illi definitio accidentis quinti prædicabilis, quia potest adesse & abesse absque subiecti corruptione, ut patet; ergo non habet distinctum modum inexistendi & prædicandi ab accidente, quinto prædicabili; & consequenter proprium primo modo non spectat ad quartum prædicabile.

Proprium
secundo
modo non
est quartum
prædicabile.

6. Probatur idem de proprio secundo modo, quia albedo, quamuis competat omni homini, & non soli, quando quidem nullus sit homo, qui non sit albus secundum aliquam saltem partem, tamen secundum omnes est accidens hominis, & pertinet ad quintum prædicabile; sed competit ipsi definitio proprii secundo modo: ergo proprium secundo modo potest esse accidens quinti prædicabilis etiam respectu hominis, respectu cuius est proprium secundo modo, & consequenter non habet proprium secundo modo modum inexistendi & prædicandi

distinctæ rationis ab accidente quinti prædicabilis.

Præterea, esse bipedem potest adesse & abesse homini: ergo est accidens quinti prædicabilis respectu ipsius; sed esse bipedem est proprium secundo modo: ergo proprium secundo modo est accidens quinti prædicabilis, & consequenter non habet prædicabilitatem distinctæ rationis à prædicabilitate quinti prædicabilis.

Et si dicas, esse bipedem intelligendum non actualiter, sed aptitudinaliter.

Contra primum, quia non debet sic intelligi, sicut nec esse medicum, quod est proprium hominis primo modo, nec ridere, quod est proprium ipsius tertio modo.

Contra secundum, quia illa aptitudo ad habendum duos pedes, si conueniat homini, & aliis animalibus bipedibus, erit proprium quarto modo, ergo esse bipedem non intelligitur sic. Probatur antecedens, quia si aliquid impeditur, maxime quod conueniret aliis animalibus ab homine: sed hoc non impedit, quia dantur propria subalterna quarto modo, quæ non conueniunt soli indidius vltius vnius speciei infimæ: ergo quamuis capacitas, seu exigentia duorum pedum non solis hominibus conueniret, posset tamen esse proprium quarto modo, non quidem respectu speciei humanæ, sed respectu alicuius alterius speciei subalterne, ut postea magis apparebit.

Contra tertium, quia habere duos pedes non videtur esse prædicatum accidentale respectu hominis, sed prædicatum essentiale integrale; sicut habere animam est prædicatum essentiale physicum ipsius: ergo non est prædicatum quarti prædicabilis, nec quinti, sed potius reduci debet ad aliquod prædicabile ex tribus primis.

7. Probatur denique idem de proprio tertio modo ex dictis, quia ridere actualiter est accidens omni homini, sicut intelligere cum dependentia ad phantasmata, & ridere aptitudinaliter est proprium quarto modo hominis: ergo ridere, quod est tertium prædicabile, non habet modum distinctum prædicandi & inexistendi ab accidente quinti prædicabilis.

Complures hic quæstione prima probant hanc conclusionem ex D. Thoma hoc modo: illud solum est vere & simpliciter proprium, quod dimanat à principiis essentialibus, & cum eis habet naturalem & necessariam connexionem: sed hoc conuenit soli proprio quarto modo: ergo illud solum est proprium vere, & simpliciter, & consequenter illud solum debet pertinere ad quartum prædicabile. Hanc vltimam consequentiam non addunt ipsi; sed sine dubio eam subintelligunt, nisi enim valeret hæc consequentia, quamuis prima consequentia esset optima, non sufficeret ad propositum, hoc est ad ostendendum quod solum proprium quarto modo spectat ad quartum prædicabile.

Confirmant, quia tria prima propria non dimanant à principiis essentialibus: ergo non sunt spectantia ad quartum prædicabile.

8. Hæc probatio ex se non sufficit: Responderi enim potest distinguendo maiorem: vere & simpliciter proprium, hoc est habens veram rationem proprii, quod est quartum prædicabile, nego maiorem; vere & simpliciter proprium, id est magis proprie spectans ad essentiam rei, cuius dicitur proprium, aut magis connexum cum illa, concedo maiorem; distinguo etiam minorem: esse simpliciter proprium, id est magis connexum cum essentia, soli proprio quarto modo competit, concedo minorem: esse simpliciter proprium, id est simpliciter participans rationem quarti prædicabilis, nego minorem. Et similiter distinguo primum consequens & nego secundam consequentiam.

Ad confirmationem nego consequentiam. Itaque oportet, ut hæc probatio valeret, ostendere quod nihil posset participare rationem proprii ut sic, quod est quartum prædicabile, præter illud, quod dimanat ab essentia rei, & habet necessariam connexionem cum illa.

9. Obiicitur: Tria prima propria respiciunt aliquo peculiari modo illa, respectu quorum dicuntur propria, quo accidens quinti prædicabilis non respicit illa, respectu quorum dicitur accidens: ergo illa tria propria sunt prædicabilia distincta ab accidente: sed non spectant ad aliud prædicabile quam ad quartum: ergo spectant ad quartum.

Proba

Proprium
tertio mo-
do non est
quartum
prædicabile.

Probaturs antecedens, quia proprium primo modo respicit illa sub formalitate solius, ita ut sola talia indiuidua, sed non omnia efficere possit. Proprium secundo modo respicit illa omnia & aliqua alia. Proprium tertio modo respicit omnia & sola, sed non semper: sed accidens quinti prædicabilis respicit inferiora per modum alicuius, quod possit ipsis abesse & adesse; ergo alio modo respiciunt tria prima propria sua inferiora quâ accedens respicit sua.

Respondent ad hoc Complutenses quod licet antecedens sit verum, inde tamen non sequitur, quod habeant rationem proprii simpliciter, sed secundum quid; aut quod pertineant ad quartum prædicabile alio modo, quam reductiue.

10. Hac responsio non placet, quia reuera dat aduersariis totum quod intendunt, iis enim sufficit quod tria priora propria habeant diuersam prædicabilitatem à prædicabilitate quinti prædicabilis, & trium priorum prædicabilium, quod concedit hæc responsio. Deinde si semel concedatur quod aliquo modo spectent illa tria propria ad quartum prædicabile, non poterit ostendi ratio, cur non pertineant directe, sed solum reductiue; & ratio quam assignant Complutenses (supposito quod reductiue pertineant ad hoc prædicabile) est petitio principij, nimirum quod ad veram rationem proprii directe pertinentis ad hoc prædicabile requiratur necessaria emanatio ab essentia, & conuertibilitas cum ipsa, hoc enim est quod manet in controversia.

Confirmatur hoc, quia illa tria propria prima spectant directe ad aliquod prædicabile ex quinque, de quibus hic agimus, sed non ad aliud quam ad quartum vel quintum: si ad quartum, ergo non reductiue ad illud spectant; si ad quintum, ergo etiam non spectant reductiue ad quartum, quia quod directe spectat ad vnum prædicabile, non debet indirecte spectare ad aliud, sicut quod directe ponitur in vno prædicamento non ponitur indirecte in alio.

11. Dices cum Ioanne & S. Thoma non esse inconueniens, illud, quod simpliciter spectat ad vnum prædicabile, spectare secundum quid ad aliud, sicut rationale respectu Petri & Pauli habet rationem differentie, & respectu huius aut illius rationalis habet rationem speciei.

Contra, quia rationale, ut respicit Petrum & Paulum tanquam differentia, directissime pertinet ad tertium prædicabile, & ut respicit hoc & illud rationale, spectat directissime ad secundum prædicabile non minus quam natura humana: ergo non habetur ex hoc exemplo, illud, quod spectat directe ad vnum prædicabile, spectare posse indirecte ad aliud prædicabile, sed potius quod spectare possit directe ad illud.

Contra secundo, quia aliud est quodd vnum & idem possit secundum diuersas rationes spectare ad diuersa prædicabilia, quod non nego, & conuincitur illo exemplo de rationali aliisque plurimis; aliud vero, quod aliquid, ut comparatur ad eadem, possit spectare, aut directe ad plura prædicabilia, aut indirecte ad vnum, & directe ad aliud, quod negatur in confirmatione præmissa. Vnde si prima tria propria, ut respiciunt illa, respectu quorum dicuntur propria, directe pertinent ad quintum prædicabile, non debent, quatenus illa ipsa respiciunt, dici spectare indirecte ad quartum prædicabile aut vllum aliud.

Respondet ergo aliter ad obiectionem distinguendo antecedens: aliquo peculiari modo, qui extrahat ipsos à ratione quinti prædicabilis, nego; qui non extrahat, transeat antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem antecedentis concedo, quod illa tria propria respiciunt sua inferiora sub illa ratione, sed nego, quod illa ratio tollat quo minus illa ipsa respiciant ut accedens quinti prædicabilis; & nego, quod accedens quinti prædicabilis ita respiciat per modum potentis abesse & adesse, ut excludat, quod respiciat illa aut ut sola, aut ut non sola.

Q V A E S T I O II.

Quid sit Proprium quod est quartum prædicabile.

12. Porphyrius definitur proprium quarto modo, quod solum est quartum prædicabile, ut patet ex dictis, esse quod accidit soli alicui speciei, & omni, ac semper: Aristoteles autem 1. Top. capit. 4. dicit proprium esse, quod

non indicat esse rei, soli autem inest, & conuersim prædicatur. Hæc duæ descriptiones in re conueniunt, nam quod dicitur in secunda proprium non indicare esse rei, hoc est non esse prædicatum essentiale rei, cui conuenit, significatur in prima per ly *accidit*, hoc est, est extra essentiam rei. Et quod dicitur in prima, quod soli speciei & omni & semper conueniat, significatur in secunda, dum dicitur, quod soli inest, ac quod conuersim prædicatur, hoc est quod de quocumque potest prædicari illa species, cui soli inest; de eodem prædicatur proprium, & de quocumque prædicatur proprium, de eodem prædicatur illa species; quod non posset esse verum, nisi soli illi speciei ac omni indiuiduo eius semper conueniret.

Quæritur ergo hic, an bene definiatur proprium his definitionibus; quæ difficultas potest esse tam de proprio metaphysico, hoc est de illa formalitate, quæ vere inest rei, & denominatur vniuersale, & est prædicabile, quantum de proprio logico, hoc est de illa ipsa formalitate, ut est vniuersale seu prædicabile formaliter.

C O N C L V S I O.

13. Prædictæ definitiones sunt bonæ, & possunt applicari proprio tam primo quam secundo intentionaliter accepto: clarius tamen definiatur proprium secundo intentionaliter acceptum, dicendo quod esset illud, quod posset prædicari de multis in quale, tanquam aliquid ipsis conueniens non essentialiter, sed necessario tamen. Hæc conclusio est in re communis, & probatur prima pars, quod scilicet illæ definitiones sint bonæ, quia declarant naturam quarti prædicabilis, ut distinguitur à cæteris vniuersalibus, ut patet ex dictis inter explicandam conuenientiam earum. *Secunda pars patet*, quia si intelligatur per *accidit*, quod conueniat seu inest omnibus ac solis illis, quibus inest species, cui per se primo conuenit per modum alicuius, quod non est de essentia, habet tamen necessariam connexionem cum essentia ita, ut ubique ipsam comitetur, declarat bene naturam proprii metaphysici & primo intentionaliter accepti, potest autem sine dubio illo modo explicari ly *accidit*: ergo possunt accommodari proprio metaphysico.

Rursus, si intelligatur per ly *accidit* quod accidentaliter prædicetur, hoc est per modum alicuius prædicati non essentialis, sed necessario tamen conuenientis omnibus, quibus conuenit species, à qua emanat, declarat naturam proprii logici, seu secundo intentionaliter accepti, & potest etiam id intelligi per ly *accidit*: ergo possunt illas definitiones accommodari proprio logico.

Tertia denique pars patet, quia tollitur æquiuocatio, quæ est in ly *accidit*, seu conuenit, quod potest accipi sic ut possit accommodari proprio metaphysico & logico, & expresse ponitur prædicabilitas peculiaris, quâ habet proprium logicum, & per quam distinguitur à cæteris prædicabilibus: ergo clarius est illa descriptio, quam alia illarum descriptiones. Ut autem pateat, quod hæc descriptio clarius sit etiam bona, & ut exactius cognoscamus naturam quarti prædicabilis, declaranda est vterius per singulas partes. Dicitur ergo, quod Proprium sit *prædicabile de multis*, in quo tanquam in genere conuenit cum cæteris vniuersalibus logicis. Dicitur *in quale*, per quod distinguitur à genere & specie. Dicitur *tanquam aliquid non essentialiter*, per quod distinguitur à differentia, quæ prædicatur in quale quid, hoc est tanquam aliquid de terminatum essentialiter. Dicitur *necessario tamen conueniens*, ut distingatur ab accidente, quod prædicatur in quale non essentialiter, nec etiam necessario.

15. Circa vero hanc particulam est difficultas non levis, de qua necessitate fiat hic mentio, an de necessitate simpliciter, etiam in ordine ad potentiam absolutam, ita ut sit tam necessaria connexio proprietatis pertinentis ad quartum prædicabile cum suo subiecto, seu cum illa essentia, cum qua est conuertibilis, ut nec de potentia absoluta possit reperiri sine illa, nec è contra illa sine proprietate; an vero sufficiat necessitas naturalis exigentia sic, ut connaturaliter petat illa essentia habere illam proprietatem taliter, ut non possit naturaliter nec de potentia ordinata ab inuicem separari.